



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

9. Conclave Columnatum Domus Sapientiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & OMNEM SCIEN-  
TIAM: & habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Ce-  
ritatem autem non habuero, nihil sum I. ad Corinth. XII.  
Longitudo etiam Domus Sapientiæ visus nostri facul-  
tatem excedit, & Mansuetudinis ac Tolerantiæ Longa-  
nimitatem, quæ nisi semper studiosum doctrinarum  
comitetur in tot laboribus & vigilijs, inter tot mundo-  
rum obtreccationes, inter tot spinas, quibus Veritas  
ceu rosa, circumsepitur, nunquam in vlla vel scientia  
vel virtute ad perfectionis culmen perueniet.

## ARTICVLVS IX.

## CONCLAVE COLUMNATVM

*Domus Sapientiæ.*

DESCRIBENDA iam essent, vel depingenda potius  
ut in omnium conspectum vërent, Domus Sapien-  
tiæ. atrium, aula, cubicula, conclauē, ambulacrū, aliæque  
partes amplissimi palatij. Sed vos ex vna coniecturam  
facite reliquarum: nam ad eius modum, elegantiam, &  
cultum confirmatæ sunt ceteræ. Est Conclauē, siue, ut  
nunc vocamus, Aula, in penetralibus intimis Domus,  
in quâ commoratur Regina Sapiētia: habet plura im-  
terius cubicula, propè verò Ambulacrū amœnissimū.  
(vulgus *Galeriam* appellat) constat totum opus Co-  
lumnis septem, pulcherrimo ordine, proportione, ac  
symmetriâ positis & commixtis, & ipsiusmet Sapiētiæ  
ludētis, manu mirabili artificio excisis ac formatis. Sunt  
autem ex vario lapide, nitore leuoreque cum marmore  
Pario haud conferendæ, quippe excellentiores. Singu-  
larum



larum hic ponam nomina, & formã aliquatenus. Primã est rotunda Timoris Domini, contra Superbiam, tum striata Pietatis contra Inuidiam. Sequuntur aliæ ordine: structilis ac inconcussa Scientiæ contra Iracundiam: solida Fortitudinis contra Acediam: polita Consilij, contra Auaritiam: fastigiata Intellectus contra Gulam: firma Sapientiæ contra Lasciuiam. Sunt autem omnes fundatæ in stylobatis Patientiæ, firmatæ in basibus Tolerantiæ, ornatæ spiris Mansuetudinis, rectificatæ scapo Constantiæ, sustentatæ plinthio, vt fulcimento, Demissionis: dotatae volutis & encarpis suauæ loquentiæ, coronatæ vndosis cymathijs Amabilitatis. Lemniscatę vario genere fructuosæ Enditionis, cinctæ, fabre sculptis zophyris grãtæ Conuersationis, insignitæ cælatis bellę epistylis Contemplationis.

Non desunt autem circumquaque in varijs lapidum recessibus, & marmoreis veluti scapis affabrè excisis signa, seu simulacra, quæ variorum sunt in hoc Sapientiæ gymnasio commoranrium symbola. Imprimis cernuntur alicubi credentium Patris Abraham Boues, artificio sculpti stupendo, vt spirare diceret: symbolum Sapiētis laboriosi, & aliorum institutioni operam nauantis. Alibi stat auritum pecus, ex lobi patientis armento: imago symbolica Idiotæ simplicis, ad Sapiētiã adspirantis, longarum ab auditione aurium præsidio. Apparent alicubi Ouiculæ Ioseph effigies syluicolæ, & solitarij Sapiētis. Spectantur in quodam loculamento Arietes Nabothi: Idea zelo æstuantis Sapiētis pro lege Dei. In alio videndum se dat rufatus Aaronis Vitulus: nota generosissimorum Sapiētũ, sanguine pro fide fuso purpuratorum. Non desunt in alijs simulacrorum receptaculis iubati Leones, rigidæ sectæ signa: tenelli Agni mansuetudinis: candidæ Colum-

Colum-



Columbulæ simplicitatis: callidi Serpentes prudentiæ:  
Turtures gementes continentia: leuifomines Canes fi-  
delitatis: generosi caballi magnanimitatis.

## ARTICULUS X.

## AULÆA

*Domus Sapientiæ.*

QVONIAM Columnæ in triclinijs, ambulactis, & conclaui-  
bus palatiorum, non sunt tantum ad splen-  
dorem, sed etiam vsum, vt appendantur aulæa, peripe-  
tasmata, cortinæ; neque ista desunt in Domo Sapientiæ,  
à cuius Columnis dependent, quibus vestiuntur quo-  
que parietes, non conchylata tapetia, nec Campana  
peristromata uanas profanasque historias, vel virorum  
fœminarumque facies ad lasciuia proritantes, vel  
Deorum Dearumque facinora dedecorosa, vel de-  
nique bellantium conflictus, & bellorum euentus re-  
presentantia; sed Aulæa & tabulæ ætherei coloris, viuo  
quodam picturæ genere, vt spirare crederes, domi, mi-  
litiaque præclara decora Sapientiæ, quæ sagatæ, quæ to-  
gata exprimentes. In ijs est videre Duella, Diligentia  
& Desidia. Virtutis & Vitij: Honesti & Iucundi. Tum  
Artium ingenuarum quasi animatas formas, illarum  
præcipue quæ, Regina Sapientiæ Gynæceum consti-  
tuunt, quæ omnes suis sunt illustratæ coloribus, & gen-  
tilitij distinctæ insignibus.

GRAMMATICA sedet in pellucidâ cyclade, & stylo  
aureo in tabella cedrata characteres pingit. POESIS  
lauro coronata, non cum Apolline vanas, ad Hipocre-  
nera;